



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

De Munere Concionandi, Exhortandi, Catechizandi - Continens non tantùm praecepta ad artem concionandi discendam accomodata, sed etiam Ideas & Conceptus practicos pro Concionibus in Festis B. V. & SS. Dedicacionis, Patrociniij, Novi Anni, Paschatis, Parasceves; item in Primitiis Sacerdotum,

...

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1679**

§. 2. Exemplar I. Quomodo utilis & grata materia Rusticis in Concione proponi possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48347](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48347)

XI. Summo studio caveat, ne ullum unquam verbum proferat, quo ruditatem illorum ipsis exprobrare, aut aliquem eorum contemptum indicare videatur; nec enim explicari satis potest, quam graviter exulcerent animos ejusmodi dicta minus sincero animo prolata; nimirum, ut ipse pro ovibus eos non agnoscere videbitur, ita nec ipsi illum velut Pastorem revereri, atque amare dignabuntur.

XII. Et si sæpe illos ad obedientiam Superioribus exhibendam exhortari conveniat. Cavere tamen sedulo oportet, ne, si fortè inter illos & Magistratum dissensio sit exorta, publicè propterea illos graviter exagitet; quia talis exagitatio potius irritat animos, & aversionem parit à Parocho, ut qui cum pacificator esse deberet, Judicis officium assumere, & in Cathedra velut tribunali publicè eos damnare, velle videbitur. Potius ergo, si causam hujus dissensionis ex parte Subditorum stare adverterit, Authores dissensionis inquirat, & privatim ad se vocatos aptis rationibus & verbis disponere studeat, ut errorem agnoscant, & Magistratui eam, quæ ipsi debetur, reverentiam, atque obedientiam exhibeant. Multo minus verò Magistratum, si fortè errare videbitur, coram Rusticis publicè reprehendere sumat, quia sic gravi periculo Subditos exponeret, ad rebellionem contra Superiores suscipiendam, ad quam quidem pronissimos esse Rusticorum animos multiplici experientia comperitum est.

## §. II.

## Exemplar Primum.

Quomodo utilis & grata materia Rusticis in Concione proponi possit.

*Thema.*

Quis putas major est in regno cælorum. Matth. 13.

*Scopus.*

Probandum. Quòd status Rusticorum omnium felicissimus, atque adeò illi sorte sua contenti esse debeant.

*Syllogismus principalis.*

*Ille status est omnium felicissimus, in quo homo vivit iustus.*

*dit, moritur confidentius, & post mortem præmiatur copiosius. Atqui talis est status Rusticorum; Ergo hic status merito felicissimus est censendus.*

## EXORDIUM.

Non dubito, quin aliquot ex meis Auditoribus, auditore meo themate, apud se cogita verint. Hæc quæstio nil ad nos pertinet; neque enim si de majoritate aut beatitudine agitur, nos in certamen venire possumus, utpote de quibus constat, quod infimum in dignitate & felicitate gradum obtineamus, & ad miseras & labores nati sumus. Hinc passim contemnimur, contumeliis afficimur, & duris exactiõibus penè opprimimur, meritoque cum S. Paulo 1. ad Cor. 4. dicere possumus: *Vsque in hanc horam esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cadimur, & instabiles sumus, laboramus operantes manibus nostris: male dicimur, & benedicimus; blasphemamur, & obsecramus; persecutionem patimur, & sustinemus; & tanquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium perissemus.* Ita quidem loquuntur aliqui, qui conditionem & felicitatem status sui ignorantes, eundem ex ijs potius, quæ sentiunt aperte, quàm quæ occultè percipiunt, meriuntur, aliter de Rusticorum statu Poëta sensit, dum dixit: *Felices nimium, bona si sua nõssent Agricolaë.* Idem & ego profectò judico, judicabuntque mecum, quotquot eundem vestrum statum penitiùs inspexerint, & commoda multiplicia, quæ in eo latent, paulò accuratiùs perpenderit. Quare, ut & vos felicitatem hanc vestram agnoscat, & statu vestro contenti debitas pro vestra vocatione gratias agatis, ostendam in præsentì concione nullum omnino statum vestro feliciorẽ esse, si in eo, prout oportet, vivere velitis. Spero itaque, tantò attentius vos dicentem audituros, quantò magis ea, quæ dicentur, ad solatium vestrum pertinere videntur.

## Propositio.

Equidem, si breviter descriptionem felicissimi status afferre velim, videor mihi cum commodè sic posse describere. Est talis status, in quo homo vivit jucundiùs, moritur confidentius, & post mortem præmiatur copiosius; neque enim

R §

video.

video, quid ultra hæc tria ad felicitatem requiri queat; qui reperire ea, simulque possidere, vix ulli homini, aut certe non nisi paucis, iisque nobilissimis, doctissimis, & potentissimis concessum videtur. Ast ego aliter longè sentio, & descripta tria capita, non nobilissimis & potentissimis Regibus & Principibus, sed pauperibus & vilissimis Rusticis, si Christianè & juxta statum suum vivant, convenire contendo.

### Pars Prima.

Et primò quidem eos *jucundius*, quàm alios quoscunque vivere. Ajo, uti jam olim sentisse sapientissimus Salomon videtur, dum Prov. 3<sup>o</sup> eorum potissimum conditionem & statum sibi exoptavit, dicens: *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi, tribue tantùm victui meo necessaria, ne forte satietus (ut divites & potentes dicam): Quis est Dominus? aut egrediar compulsus (ut mendici) furer & periurem nomen D. E. I. me.* Quis enim hæc duo mendicitatem & divitiarum abundantiam perinde ut Rustici à se remota habet? Sed ut clarior hoc ipsum vobis demonstrum, examinemus paulò accuratius, quæ voluptates in statu vestro reperiantur. Duplicis generis voluptates (honestas puta) reperire est, corporis & animi quo ad corpus potissimè reputantur, si quis sanus sit, si cibos & potus sapiat (neque enim voluptas gustus ex pretio aut præstantia cibi potius, quàm sapore percipitur) si quiete & securè dormire queat. Quoad animam verò ille jucundissimè vivit, qui bonam conscientiam, & inde natam tranquillitatem & securitatem habet; nam ut jam olim Salomon Prov. 15. dixit: *Secura mens quasi iugè Convivium*, & ut pius Alcega l. 2. de imit. c. 4. pronuntiavit: *Si gaudium est in mundo, hoc utique possidet puri cordis homo, & si est alicubi tribulatio & angustia, hoc melius novit mala conscientia.* Id quod pulcherrè Dionysius Rex Siciliæ Damocli Famulo suo probavit; cum enim Damocles assiduè felicitatem sui Regis deprecaret, jussit Rex convivium regium apparari, & Damoclem in sella regia mensæ assidere, & gladium à tenui equinæ caudæ fillo super caput ejus suspendi. A cujus conspectu, cum exanimatus propemodum Damocles cibos tangere noller, subjecit Dionysius, idem sibi inter delicias suas evenire, utpote ad quas suspensus perpetui periculi gladius omnem appetitum tolle-

rolleret; ut ad eò meritò Horatius cantàrit. *Hic murus aeneus esto, nil conscire sibi, nullà pallefcere culpà.* Jam verò geminam hanc voluptatem quis magis, quàm piè viventes Rustici participant? Quis enim sanctitatis beneficio magis, quàm Rustici fruitur? Quis cibos suaviùs capit? Quis securiùs & quietiùs dormit? Ite, ingredimini civitatem, & Inquilinorum corporalem constitutionem examine, & modò unum podagrà laborantem; modò alium calculo vexatum, aut febrì calida propemodum exustum, aut hydrope inflatum, aut alio morbo gravi afflicto inveniatis. Quia, ut bene Salomon Eccl. 37. advertit, *In multis escus erit infirmitas, & aviditas appropinquabit usque ad choleram.* Accedite subinde ad ipsas Regum aut Principum mensas, & easdem quidem ferculis plurimis & pretiosis repletas inveniatis, sed ad quas vix post varia longaque intervalla manus extendunt, modicumque carpunt, eò quòd anima eorum satiata etiam favum calcet. Prov. 27. Accedite denique ad ipsos lectos eorum, & molli quidem in culcitra prostratos, sed à latere in latius volutatos, & somnum nequicquam advocantes, cernetis, eò quòd *saturitas divitiis*, ut Salomon ait Eccles. c. 5. *Non finit eum dormire.* Recedite dein ab istis, & ad Rusticorum pagos casásque vos conferte, & qui vel podagrà vel calculo, vel hydrope, aliòque simili extraordinario morbo laboret, vix unum reperietis. In ipsa verò mensa tam avidè, licet vilissimos duntaxat cibos comedentes, conspicietis, ut vel ipse talis aspectus orexin ad simul manducandum creare possit. Nocturno verò tam quietè & suaviter dormientes reperietis, ut dum pedibus lectum conscenderunt, jam caput ut vulgò dicitur, ob dormierit, sicque impletum sit, quod Salomon l. c. dixit, scilicet dulcem & suavem operanti somnum esse. Hic nimirum labor optimus Medicus, optimus Morpheus seu somni conciliator, & optimus Cocus est; hic malos humores dissipat, & sic morborum radicem tollit; hic curas inutiles fugat, & sic vigiliarum causam aufert: hic cibos optimè condit, efficitque, ut, quemadmodum Salomon Prov. 27. ait: *Anima esuriens etiam amarum pro dulci sumat*; uti quondam fassus est Rex ille, qui, cum in venatione avidiùs feram insectatus, longiùs aberrasset, sicque sub ferum vesperem ad Eremitam longius aberrasset, sicque sub ferum vesperem ad Eremitam divertere coactus, nihil nisi mucidum panem & aquam gustasset,

stāset, apertè ac sincerè pronunciauit, se toto imperij sui tempore nunquam esse suavius epulatum, eò quòd scilicet naturam famem velut optimum coquum fuisset nactus. Quis igitur neget, Rusticos præ alijs hominibus corporis voluptates participare? Non minùs verò etiam animi gaudijs, quæ ex bonæ conscientia oriri diximus, fruuntur; si enim *otium*, teste Ecclesiæ ap. 33. *omnem malitiam docet*, an non proscripto otio velut radice etiam proscribi peccata velut infelicia germina dicimus? Quis verò hoc otium magis proscrit, quàm Rustici totis diebus & mensibus in labore occupati? & sanè ipsa experientia satis confirmat, minimam absolutionis materiam, imò interdum propè nullam apud laboriosos Rusticos à Confessarijs reperiri; & si quidem interdum reperiatur, talia peccata, plerumque diebus festis, aut alijs temporibus, quibus otio vacarunt, commissa ab ipsis fuisse. Hinc ingeniosè nemo iucunditatem conscientia ex laboriosa eorum vita extraxit accommodatâ fabulâ expressit, dum dixit, factum esse, ut quondam musculus inhabitans civitatem alium musculum in villa commorantem inviseret, eumque ei à rurali musculo non nisi mucidus, durusque panis pro convivio appositus esset, nauseans ille tam tenuem cibum, rusticanum murem, ut secum in urbem ambularet, invitaret, alias se delicias apposituram pollicitus. Neque fefellit sanè, quippe illum in cellam penuariam omni ciborum genere abundantem duxit; sed vix delicias gustare cæperant, cum ecce tibi felis ex insidijs adfuit, & ita ambos exterruit, ut vix ad foramina sua redire salvus licuerit. Quare recollecto nonnihil à terrore Spiritu valedixit ruralis musculus urbano, & hæc pauca pro coronide adjecit. Vale Frater, & tuas tibi delicias habe, ego mucido meo pane contentus, malo deinceps ruri absque timore vivere, quàm inter ejusmodi delicias perpetuum vitæ periculum subire. An non in musculo hocce ingeniosè felicitatem vitæ vestrae adumbrantem cernitis? An non & vos, & quidem experti fatebimini, veram esse Salomonis sententiam, quâ dixit: *melior est buccella sicca cum gaudio, quàm dimus plena iurgii*? O igitur verè felices vos, si bonæ vestrae nôsetis Agricolas.

## Pars Secunda.

Jam verò, ut ad alteram felicitatis rusticanæ partem veniamus, quis confidentius mortem, quàm Rustici, aliisque similes homines expectant? Quis enim magis liber est ab ijs, quæ mortem terribilem & ingratham faciunt? Tria equidem invenio, quæ faciunt, ut minus libenter homines moriantur: 1. Derelictio bonorum & amicorum. 2. Impugnatio Dæmonum. 3. Timor rationis DEO reddendæ, quæ omnia breviter complexus esse videtur Eccl. c. 41. dicens: *O mors, quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis.* Hinc enim provenit, ut tam ægrè deserantur bona præsentia, quia futura, quæ contempserunt, sperare non possunt; hinc timent impugnationem Diaboli, quia sciunt, quod S. Paulus 1. Cor. 6. dixerit: *Eos, qui volunt divites fieri, incidere in tentationem, & in laqueos Diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, qua mergunt homines in interitum & perditionem.* Hinc tantopere timent rationem reddere, quia sciunt dictum à Christo. *Quod Cui multum datum est, multum quæretur ab eo.* Luc. 12. Quòaque adeò horrendum sit incidere in manus DEI viventis, & de quovis obulo, punctoque temporis rationem severissimam exacturi; Atqui horum nihil metuere habent Rustici; cum enim plerumque tenuibus opibus præditi sint, & in hoc corpore velut in exilio aut carcere vixerint, facilè rapinam bonorum suorum à morte factam tolerant, scientes se habere meliorem substantiam. Heb. 10. ideòque dicunt potiùs cum S. David Ps. 119. *Hæc mihi, quia incolatus meus prolongatus est;* & cum S. Paulo 1. Philip. *desiderium habent dissolvi, & esse cum Christo.* Hinc neque tentationes Diaboli admodum timent, ut qui nudi cum illo luctantur, atque adeò, unde eos apprehendere possit, non habent; unde sicut pauper securus cantat coram latrone viator, ita etiam ipsi securi ad partem pergunt. Omnium minimè verò rationem reddere debent; quia cum pauca acceperint, pauca requiruntur, satisque feliciter composita erit ratio, si suo statu contenti fuisse, & fideliter ad DEI gloriam laborasse, & tribulationes patienter perpeffi fuisse deprehendantur. Atque hæc videlicet causa est, cur Joannes Arragoniæ, & Philippus II. Hispaniæ Reges, sùm ad mortis confinia

nia

nia pervenissent, Rusticorum præcipuè sortem sibi optârione dixerintque ad suos. Quid prodest modò nobis dignitas, qui eminuimus? quid potentia, quâ polluimus? & quid honores, quibus fulsumus? quid divitiæ, quibus abundavimus? quid voluptates, quibus frui sumus? Transferunt omnia tanquam umbra, & nihil nobis reliquerunt, nisi vanitatem, animique afflictionem. O utinam Rusticorum nobis infirma fors obtigisset! Quàm læti atque securi nunc æternitatis iter ingrederemur, & coram supremo Judice compareremus! Ecce dilecti, quid de noctis vestræ securitate summi Reges, & eo tempore, quo magis illuminatos plerumque oculos, & intellectum vexatio morborum & mortis imminentiæ facere solent, sentiant. Quàm verè ad eò dixerit Ecclesiasticus 4. *O mors bonum est iudicium tuum homini indigenti, & qui muratur viribus, & cui de omnibus cura est: Noli metueri iudicium mortis;* Si ergo à felici morte meritò sapientes omnem nostram felicitatem pendere arbitrantur, an non vel ex hoc capite optatissimum dicemus Rusticorum statum, in quo, ut vidimus, tam beatam & tranquillam mortem sperare licet?

### Pars Tertia.

Sed fortè post mortem minùs felices erunt? Neutiquam profectò; si enim ea capita, ob quæ majus in altera vita præmium hominibus contingere solet, accuratius examinemus, vix ullo in statu æquè ea, ac Rusticorum reperio.

Si enim primò juxta Servatoris dictum Matth. 23. *Qui se humiliaverit, exaltabitur; & quò magis se humiliaverit, tantò magis exaltabitur,* perinde ac pila, quò fortius terræ impacta est, tantò altiùs sursum resilit; Quis dubitet Rusticos in cælis olim præ aliis exaltandos esse, qui præ aliis, dum adhuc in terris viverent, humiliati sunt? Si enim humilitatis est vilissimum, & infimum locum libenter tenere, & ultra quærere, an non hunc locum Rustici præ alijs tenere contempnunt? Si humilitatis est libenter ab aliis contemni & iri-deri velle, an non hoc ipsum Rustici præ aliis velle possunt, si occasiones, quæ frequenter ipsis occurrunt, arripere velint? Si humilitatis est, humilia & vilia officia libenter obire; an non hoc præ aliis Rustici faciunt, qui inter pecora & simum majorem vitæ partem consumunt? Si humilitatis est

nihil sibi de suis operibus, sed soli DEO omnia adscribere, quis minus inani huic gloriæ obnoxius, quàm Rustici deprehenditur? An ergo si ex virtutis motivo seu propter DEUM libenter tales esse, tales videri, & ut tales tractari velint? An non meritò credimus, eos tantò altius in cælis supra alios evehendos, quantò profundius in hac vita infra alios descenderunt? Non immeritò certè creditur, Rusticis in altera vita eventurum, quod gallinis, & magnis dominis, si non bene vivant, quod falconibus solet evenire; ut enim falcones, dum vivunt, in magno pretio & honore sunt, & in manibus portantur, optimo cibo pascuntur, & dum in aëre, cum Adversariis dimicant, omnium in se animos, oculosque convertunt; postquam autem mortui sunt, ad nihilum utiles reputantur, & infimetum abijciuntur; E contrario verò gallinæ, quamdiu vivunt, à nemine honorantur, sed ex domo expullæ grana pro victu ex fimeto aut terræ sordibus eruere coguntur; postquam verò occisæ sunt, summo studio primùm deplumantur, varijs aromatibus condiuntur, optimo jusculo immerguntur, in argentea, aut omnino aurea patina collocantur, aulicorum seu Dapiferorum manibus ad mensam regiam portantur, & in ventre Regum Principumque velut sepulchro conduntur; ita pariter magni domini in hac quidem vita ab omnibus coluntur & amantur, oculosque omnium in se conversos habent; post mortem autem, si malè vixerint, in fimetum inferni abijciuntur; E contrario verò Rustici, licet in hac vita victum suum in fimeto quærere cogantur, post mortem tamen, quæ pretiosa est in conspectu Domini, cum Lazaro portabuntur ab Angelis in cælum, ibique in sinum Abrahamæ æternum quieturi abscondentur.

Si jam 2. *Sicut socii passionum cum Christo fuimus, ita et gloria erimus*, Apost. teste 1. Cor. 5. An non iterum meritò credimus, Rusticos præ alijs magnâ in cælis gloriâ fruituros, ut qui tam multa cum Christo pati coguntur? Quis enim est, qui Christum patientem magis representet, quàm illi? An non enim sæpe sanguinem sudare, id est, opes cum tanto labore partas suis Superioribus offerre debent, & gravissimo propterea dolore afficiuntur, ita ut non rarò dicere cum veritate possint: *Tristis est anima mea usque ad mortem*? An non sæpe illi ab uno tribunali ad alterum cum ludibrio mit-

tuntur,

tuntur, & sæpè omnino injustè condemnantur, aliisque, quæ muneribus Judices corruerunt, postponuntur? An non crudelibus flagellis, id est, injustis pœnis & exactioibus flagellantur? An non frequenter coronas spineas portare, id est, durissima imperia audire, & exequi coguntur? An non labores graves, aliâsque plurimas miseras velut gravissimam crucem ferre coguntur? An non denique illi in cruce sua omnino plerumque moriuntur? Si ergo hæc omnia propter Christum patienter, libenter, & constanter ferant, an non æternæ gloriæ in cælis obtinendæ spem justissimam concipere possunt? An non ipsi præ aliis audient illud solatio plenissimum Christi encomium Luc. 22. *Vos estis, qui permanistis mecum in tentationibus meis, & ideo dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, & bibatis super thronos in regno meo, & sedeat super thronos iudicantes duodecim tribus Israël?*

Quod si denique tertio ij, qui charitatem proximi præ alijs exercent, DEVM in altera vita liberalem maximè sunt reperituri, ut qui, quamdiu aliquid facimus uni ex minimis suis, sibi factum reputat; An non ex hoc quoque titulo magnam gloriam sperare Rustici possunt? An non enim illi cum gaudio & magna confidentia accedere ad Judicem, & eum veritate dicere olim poterunt: Domine vidimus te clementem in servis tuis, ideòque cum magna diligentia coluimus agròs, ut pasceremus te in illis: vidimus Te sitientem, & ideò vineas & hortos coluimus, ut vino & cerevisiâ possemus potare te: vidimus te nudum, & ideò pecora, agnòsque curavimus, ut ex his possemus vestire te; Si ergo, qui vel semel duntaxat ejusmodi opera charitatis præstitit, justissimam spem concipit magnæ gloriæ obtinendæ; quantam sperare poterit Rusticus, qui non semel tantùm talia officia præstitit, sed totam propemodum vitam in ijsdem consumpsit.

### Epilogus.

Credo itaque videre vos tandem, quod ab initio probaturum me promittebam, scilicet esse felicissimum statum Rusticorum, si piè & Christianè vivere studeant, Quid ergo superest, nisi ut saluberrimam Siracidis. Eccl. 11. doctrinam vobis datam putetis, dum dicit. *Confide in DEO, & maneat in loco*

loco tuo; facile est enim in oculis DEI subito honestare pauperem. Dicite ergo cum Jobo 29. c. *In nidulo meo moriar, & super palmam multiplicabo dies.* Dicite cum S. David 2. Reg. *Ludam, & vilior sum plus, quam factus sum, & ero humilis in oculis meis;* veniet veniet aliquando tempus, quo ea, quæ antè commemoravi, impleta videbitis: veniet tempus, quo illi, qui vos in hac vita adeò presserunt, & despexerunt, dicere cogentur: *Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperii: Nos insensati vitam illorum existimabamus insaniam, & finem illorum sine honore.* Ecce quomodo computati sunt inter Filios DEI, & inter Sanctos fors eorum est, quam vobis omnibus concedere dignetur Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Amen.

## §. III.

## Exemplar Secundum.

In quo ostenditur, quomodo certa quædam actio breviter Rusticis commendari queat.

*Thema.*

Ite, & vos in vineam meam. Matth. 10.

*Scopus.*

Amor laboris persuadendus.

*Syllogismus principalis.*

Tunc merito amandus est labor, quando is à Christo ipso electus, & per totam vitam susceptus est; & nos à gravibus malis defendit; & ingenia bona procurat; Atqui hæc omnia facit labor; Ergo merito amandus est.

## E X O R D I U M.

Legitur apud S. Lucam c. 9. Quòd, cum Christus Samaritanos invisere vellet, & hi eum non recepissent, Discipuli ejus indignati dixerint: *Domine vis, dicimus, ut ignis descendat de celo, & consumat illos;* quos Christus quam primum arguit dicens: *Nescitis, cuius spiritus estis;* quasi diceret, non estis memores vocationis meæ & vestræ, alioqui talia dicta non proferretis. Quod hoc loco Christus Apostolis dixit, hoc

Instruit, VII.

S

idem